

3/27/78

cat

★ OF GEMS &c GEM CUTTING ★

MINERALOGY · EMERALD · AND · OTHER · BERYLS · CATALOG

GEMSTONES · OF · NORTH · AMERICA · PROSPECTING · FOR · GEM

EX LIBRIS

JOHN · SIN · KAN · KAS

★ STONES · AND · MINERALS ★

GLO

31

JSL  
276015154

LIBELLVS DE LAPIDIBVS  
PRECIOSIS NVPER  
EDITVS.

Cuspinianus Lectori.

SI VARRONIS. Celii. Galbæ. Mutiani. Cor. Nepotis  
Pisonis. Fabii. Tuberonis. Fabiani Catonis monumenta  
extarēt: ut interim Græcos omittā: qui de gēmis ac lapi/  
dibus scriptitarūt. superuacuū esset hūc prodire libellū in  
publicū. Nam & Theophrasti liber de lapidibus ad nos  
lacer puenit. Et Nicander a plerisq; ob difficultatē negligē  
Sed & diis lacte supplicamus & mola salsa litamus ut ille  
ait: quū thura nō habemus. Iccirco hūc amicis libellū am/  
plectere brachiis candide lector. Quod si obscura quædā  
tibi uidebunt: quædā abstrusa: si Viennæ es: nō pudeat te  
Gymnasiū nostrū publicum subire: atq; ea excerpere quæ  
quotidie haud negligēter dictamus: nulla enī tibi uerecū/  
dia inde accedet si nō erit ingēs aliqua utilitas. Si abes: ex/  
pecta donec nostri egredient cōmentarioli. Interea Pliniū  
& eius Metaphrastē. Solinū. Dioscoridē. Galenū. Aui/  
cennā. Serapionē: & Albertū: hic digito tibi signatos per/  
lustrato & gemmarū tibi patefcent uires. Vale.

a

Ioan. Cuspinianus Augustino Morauo Olomucensi &  
Brunnensi præposito. Regis Hungarorū &  
Bohemorū Secretario. S. P. D.

Edeūti nup̄ mihi istinc ex legatiōe: uir am/  
plissime atq; optime: cū me Strena Satur/  
nalitia & pulcherrima/ simul & artificiosis/  
sima donasses/ illud Græcanicū Antipelar/  
gin succurrebat. Et tritū hoc Adagiū: fri/  
cantem refrica: ne tibi uiderer oppido q̄ ingratus atq; ideo  
fierem exosus. Carthaceū itaq; ingressus Gazophilatiū :  
omnē meā suppellectilē euolui haud icuriose: singula que/  
q; examussim librādo/ atq; exaiando paulo diligētius. Fa/  
stidiosum enī habes stomachū qui quotidiano nō oblecta/  
tur cibo/ ac triuiales aspernat dapes. Quæ nāq; oibus p̄tri/  
ta ac uulgaria sunt Ne gry quidē æstimas ut Græci dicūt  
sed pinde ut floccos uestiū facis. Et id iure quidē. Quis enī  
te uno Bibliothecā habet uariis / rarioribus melioribusq;  
libris in omni disciplinarū genere refertiorē? Taceo antiqui/  
tates isignes/ obmitto Cæsarū Consulūq; ac regū uetustis/  
sima nomismata qbus apud nostrates nemo est te ditior:  
Cum ergo aliquē pro stomacho tuo quærerem libellulū.  
(Nam aliud nil referā tibi Glauci ac Diomedis p̄mutatōe  
usus) qui rarior nostris esset minimeq; spernēdus etiā scio/  
lis: ne periret hactenus tinea corrosus & mille uulneribus  
p̄fosus: libellus de lapidibus primū sese obtulit: q; Marbo  
dei galli esse circūferē licet Hermola<sup>9</sup> Bar. Aucto. obscurū  
appellet atq; ignotū: popularib<sup>9</sup> aut a prima forte primi  
capitis dictiōe Euax nomine. Hūc ut potui p̄ uirili refi/  
ciebā atq; redintegrabā sanatis plerisq; ulceribus qbus cō/

temptibilis multis uisus est tuoq; noie emisum publicauit  
signū obseruatiæ in te meæ: dignū existimās ut te duce p/  
deat in lucem qui lapides prodat præciosiores: qbus olim  
caput tuum exornatū cunctis uideberis honoratior. Cū  
stabit capiti tanta Tyara tuo qualē dominus Moyfi præ/  
ceperat: ut Aaron patri fabricaret. Pones inquit in quadrā  
gulo quatuor ordines lapidum. In primo uersu erit lapis  
Sardius/ Topasius/ & Smaragdus. In secūdo / Carbūcu/  
lus/ Sapphyr⁹ / & Iaspis. In tertio / Ligurius / Amethystus:  
In quarto / Chrisolithus / Onyx / & Berillus. Inclusi auro  
erūt per ordines suos: habebūtq; noia filiorū Israel: duode/  
cim noibus coelabunt singuli lapides noibus singulorū per  
duodecim tribus. Quanq̄ ingeniosiores: hos duodecim la/  
pides Methaphysices & Physices principiis commixtis  
Adæquent & interpretent ut uidelicet principio sit pun/  
ctus/ semen/ essentia. Secūdo linea/ pullulatio/ esse. Tertio  
planities/ forma/ uirtus. Quarto corpus/ cōpositum/ actio  
quæ duodecim respondeāt lapidibus. Cæterū: & cœlestis  
illa terra: quæ solis piis pmissa est Euāgelica ueritate teste  
quæ beatos mites prædicat quādoquidē terrā hæredita/  
bunt ex lapidibus præciosis constare dicit a ppheta. Ecce  
enī inquit præparo ego tibi carbonē lapideū. Et ponā tibi  
pinacula ex Iaspide: & fundamēta ex Sapphyro: & circui/  
tum tuū ex lapidibus electis. Tobias præterea senior be/  
nedicēs hierosolymā exclamauit. Portæ hierusalē ex Sap/  
phyro & Smaragdo edificabuntur: & ex lapide præcioso  
omnis circuitus muroꝝ eius. Ex lapide candido: & mūdo  
omnes plateæ eius sternenť: hanc autem structurā templi  
Graphice describēs Lyricus ille uates Christianus Aure/  
lius Clemēs in Psychomachia: elegātissime subiūgit post

multa erudite scripta.

Quin etiã totidem gemmarũ insignia/textis  
Parietibus distincta micant: animasq; colorum  
Viuentes liquido lux euomit alta profundo  
Ingens Chrysolitus natiuo interlitus auro:  
Hinc sibi Sapphyrum sociauerat inde Berillum  
Distantesq; nitor medius uariabat honores  
Hinc Calcedon hebes perfundiẽ ex Hiacynthi  
Lumine uicino: nam forte Cyanea propter  
Stagna lapis cohibens ostro fulgebat aquoso  
Sardonycen pingũt Amethystina: pingit Iaspis  
Sardoniũ iuxta appositum: pulcherq; Topazon  
Has inter species Smaragdina gramine uerno  
Prata uirent/uoluitq; uagos lux herbida fluctus:  
Te quoq; conspicuũ structura interserit ardens  
Chrisopase at sydus saxis stellantibus addit. & reliqua.

Sed neq; natura in gẽmis creãdis effœta/utpote quæ ma/  
ximas indidit uires illis, Et multoꝝ morboꝝ remedia/qui/  
bus scatent medicor; codices, licet multa in parte sint in iis  
& noĩa deprauata: & uirtutes cõfusæ ut inde diuinare q̄s  
facilius posset q̄ rem ipsam explicare. Fecit enĩ ignorantia  
litterar; Græcarũ huiusmodi mōstra: & interpretũ negli/  
gentia quottidie parit errores grauiores: & subinde peri/  
culosiores/quos oculati tantũ uident: & qui lingua utraq;  
sunt instituti: de quibus peculiare opusculũ cõscripsi quod  
ad te mittã propediem. Interim hũc sume libellulũ fronte  
nõ caperata sed hilari: qua soles oẽm antiquitatis & char/  
tarum suppellectilẽ: nec q; carmẽ est humile: quale & nos  
facimus pueri & segnis Cluuienus: iccirco cõtemnas. Ita  
enĩ tempora ferebãt quæ accusanda sunt quibus is scripsit.

*invenimus ad Plinium ep. 2.*  
Namque ut ille inquit: *hor. epla p. 2.*  
Scribimus indocti doctique poemata passim.  
Sic forte oblatratibus respondere potuit Author.  
Ornari res ipsa nequit contenta doceri.  
Et mediocria illa videre prodest ut admiratio cesset.  
Quam forte neque usquequaque libellus ille non amandus  
atque amplexandus est: cum nullus adeo sit tam malus  
liber: ut Plinius dicere solebat: quin profit nonnunquam  
Istud quis satis mirabitur: quod nostra tempestate indoctissimi  
et infantissimi hominationes: doctrinae parum prudentiae  
nihil habentes eo demeritiae perveniunt ut cum praeter  
inepta quae habent rudimenta vel septem tantum teneant  
peccata mortalia vel septem dona spiritus sancti: ut  
quidam nuper septenarium numerum laudavit: audent non  
modo deliramenta sua rudi popello palam: verum etiam  
eruditioribus ac litteratis uiris ostentare ineptias suas  
scriptas: & uulgo publicatas sine capite uentre & cauda.  
Quibus equidem non inuideo: & si maximum euge se  
consequutos gloriantur lactatores uani. Misereor  
potius consuleremque ut prudentiae sacrificarent supplices  
ac deuoti.  
Cum nullum numen abest si sit prudentia.  
Quemadmodum Satyrus monuit. Sed illos sinamus  
sibi solis placere cum omnes illos a tergo rideant: ac  
demeritiae arguant. Me tibi placere ac doctissimis quibusque  
& cupio & contendo: uulgi iudicium facio nauis:  
quod praerumque & stultum & insanum est. Tu uale.  
Et me uicissim ama.



Index Gemmarum quæ hoc opusculo continentur.

Absyrthos uel apistos. tit.	41	Hematites. tit.	51
Achates. tit.	3	Heliotropia. tit.	49
Adamas. tit.	2	Hephestites. tit.	50
Alabandina. tit.	24	Hexacontalithos. tit.	57
Alectorius. tit.	4	Hieracites. tit.	5
Amethystus. tit.	19	Hyenia. tit.	33
Androdamas. tit.	37	Iacinthus. tit.	18
Abestos. tit.	52	Iaspis. tit.	6
Berillus. tit.	16	Iris. tit.	36
Calcedonius. tit.	8	Lipares. tit.	34
Calcophonos. tit.	42	Lyncurius. tit.	27
Carbunculus. tit.	26	Magnes. tit.	22
Ceraunius. tit.	31	Medus. tit.	55
Chalazias. tit.	56	Molochites. tit.	43
Chelidonium. tit.	20	Onyx. tit.	14
Chelonites. tit.	58	Ophthalmius. tit.	38
Chrisoprasus. tit.	10	Orites. tit.	32
Chrisopasius. tit.	11	Pantherus. tit.	40
Cristallus. tit.	60	Peanites. tit.	53
Chrysolithus. tit.	15	Prasus. tit.	59
Chrysolectros. tit.	48	Pyrites. tit.	45
Corallus. tit.	23	Sagda. tit.	54
Corneolus. tit.	25	Saphirus. tit.	7
Diadochos. tit.	46	Sardius. tit.	12
Dionysias. tit.	47	Sardonyx. tit.	13
Enhydros. tit.	35	Selenites. tit.	29
Ethites. tit.	28	Smaragdus. tit.	9
Gagates. tit.	21	Tecolithus. tit.	44
Gagatromeus. tit.	30	Topasius. tit.	17
Galactites. tit.	61	Vnio. tit.	39

ENCHIRIDION MARBODEI GALLI  
de lapidibus preciosis.

PRAEFATIO.

Plinius in praefatiōe. 37. & lib. 33. c. primo.

a Nnulus ut gemmam digitis aptandus  
haberet.

Dicitur imprimis fecisse Prometheus  
usum.

Caucasæ rupis quem lucida fragmina ferro  
Inclusisse ferunt digitoq; recepta tulisse  
Aetas posterior iunxit speciosa metalla  
Et lapides claros adiecit & insuper artem  
Insuetamq; manum triplici uestiuit honore  
Sed fraus intactum quia nil humana relinquit  
Inuida naturam dum scilicet ars imitatur  
Veras a falsis labor est discernere gemmas  
Callida quas dederit uitro simulare doloso  
Dum ueram species mentitur adultera formam  
Inde fit ut uirtus gemmarum nulla putetur  
Ignaros quoties tentata probatio fallit.  
Sed uere species fuerint si ritæ sacratæ  
Effœctus miri procul ambiguo comitantur  
Gemmis a gummi nomen posuere priores  
Quod transplenderent gummi splendentis ad instar  
Quæ non translucent cœcas uoluere uocari  
Nomine sed lapidum species signantur utræq;  
Propter quod lapidum titulo liber iste uocatur.

[ Lapidibus vires inesse. Tit. I.

Euax rex Arabum fertur scripsisse Neroni  
Qui post Augustum regnavit in orbe secundus  
Quot species lapidis: quæ nomina: qui ue colores  
Quæq; sit his regio uel quanta potentia cuiq;  
Hoc opus excerpens dignum componere duxi  
Aptum gestanti forma breuiore libellum  
Qui mihi præcipue paucisq; pateret amicis  
Nam maiestatem minuit qui mystica uulgat  
Nec secreta manent quorum sit conscia turba  
Hunc tribus ut multum dandum sancimus amicis  
Qui numerus facer est & nos sacra pandimus illis  
Qui secreta dei seruanda decenter honorent  
Quos grauitas morum uitæ cõmendet honestas  
Occultas etenim lapidum cognoscere uires  
Quorum causa latens effectus dat manifestos  
Egregium quiddam uolumus rarumq; uideri  
Scilicet hinc sollers medicorum cura iuuatur  
Auxilio lapidum morbos expellere docta  
Nec minus inde dari cunctarum commoda rerum  
Auctores perhibent quibus hæc perspecta feruntur  
Nec dubium cuiq; debet falsumue uideri  
Quin sua sit gemmis diuinitus insita uirtus.

ADAMAS. Tit. II.

Plinius li. 37. c. 4. Solinus. c. 65. Albertus lib. 2.  
mineraliũ. ca. primo. Serapio in aggregatione  
simplicium. ca. 391.

Vltima præcipuū genus India fert Adamātis  
De Cristalloꝝ natum sumptumue metallis  
Hunc ita fulgentem Cristallina reddit origo  
Vt ferruginei nō desinat esse coloris  
Cuius durities solidissima cœdere nescit  
Ferrum cōtemnens nulloq; domabilis igne  
Hæc tamē Hircino calefacta cruore fathiscit  
Incudis damno percussorumq; labore.  
Huius fragmētis gemmæ sculpuntur acutis  
Hic sed Auellana maior nuce non reperitur  
Alterius generis producit Arabs Adamantē  
Non sic inuictū nam frangitur absq; cruore;  
Nec par huic nitor est: præciiq; minoris habetur  
Pondere sit quāuis & enormi corpore maior.  
Tercius est Adamas quem dat maris insula Cyprus  
Quartum producit ferraria uena Philippis.  
Omnibus æqua tamē uis est adducere ferrum:  
Quod facit & Magnes absente potens Adamāte  
Nam præsens Adamas Magneti quod rapit aufert  
Ad magicas artes idem lapis aptus habetur  
Indomitūq; facit mira uirtute gerentem.  
Et noctis lemures: & somnia uana repellit  
Attra uenena fugat rixas & Iurgia uincit  
Insanos curat durosq; reuerberat hostes  
Clausus in argento lapis hic auro ue geratur  
Stringat & hinc leuū fulgens armilla lacertum.

### ACHATES. TIT III.

Pli. lib. 37. c. 10. Soli ca. 11. Alb. lib. 2. ca. primo.

Vt primū perhibent lapis est inuentus, Achates  
In ripis fluuii qui nomine dictus eodem est  
Hic precio diues Siculas perlabitur oras  
Sit licet ipse niger uenis tamen oblitus albis  
Hic lapis ingenitas memorat habere figuras  
Cuius natiuis facies interlita uenis  
Nunc regum formas nunc dat simulachra deorum  
Rex Pyrrhus digito gessisse refertur Achatem  
Cuius plana nouem signabat pagina musas.  
Et stans in medio Cytharam tangebatur Apollo  
Naturæ non artis opus mirabile dictu  
Hunc quoq; Corallo similem gerit Insula Creta  
Cuius planicies Croceis est illita uenis  
Iste sæpe uirus fugat & quod uipera fundit.  
Reddentem facies uarias dat & Indus Achates  
Nunc nemorū frondes nunc dantem signa ferarum.  
Hic sedare sitim risumq; fouere putatur  
Est & qui Myrrhæ succensus spirat odorem  
Est qui sanguineas maculas perhibet habere  
Cærea cui facies quia creber uilis habetur.  
Portanti munus uiresq; ministrat Achates  
Facundumq; facit gratumq; boniq; coloris  
Et persuasorem mundoq; deoq; placentem  
Hoc Anchisades comitante pericula uicit.

### ALLECTORIA TIT. III.

Plini. lib. 37. ca. 10. Soli. c. 4. Alb. libro. 2. ca. primo  
sed corrupte Alectorius scribitur ibi.

ex p. 37. p. 37. p. 37.

Ventriculo galli qui testibus est uiduatus  
Cum tribus ut nimium factus spado uixerit annis  
Nascitur ille lapis cuius non ultima laus est  
Et per bis binos capit incrementa sequentes  
Mensuramq; fabæ crescens excedere nescit  
Cristallo similis uel aqua cum limpida paret  
Hinc Allectorio nomen posuere priores  
Inuictum reddit lapis hic quemcūq; gerentem :  
Extinguitq; sitim sitientis in ore receptus  
Nam Milo Crotonias pugiles hoc præside uicit  
Hoc etiam multi superarunt prælia reges  
Hic expulsorum promptus solet esse reductor :  
Adquiratq; novos ueteresq; reformat honores  
Hic Oratorem uerbis facit esse disertum  
Constantem reddens cunctisq; per omnia gratum  
Hic circa ueneris facit incentiua uigentes  
Comodus uxori & quæ uult fore grata marito  
Ut bona tot præstet clausus portetur in ære.

#### HIERACITES. TIT. V.

Plinius lib. 37. ca. 10. Alb. lib. 20. ca. 7. sed corrupte  
ibi legitur Gerachidem.

Et Hieracitem uetus experientia laudat  
Iste colore niger superat uirtute colorem  
Quem prius abluto si quis gustauerit ore  
Dicere mox poterit quid de se cogitat alter  
Huic quoq; semper inest impetratoria uirtus :  
Quo nequeat mulier quicquã prohibere petenti

Cuius sic uirtus perhibetur posse probari  
Muscis expositum corpus nudato gerentis  
Lactis commixto mellisq; liquore perunctum  
Intactum cupido miraberis agmine linqui:  
Si lapidem tuleris facto grege spicula figent:  
Imbutamq; cutem figunt per uulnera mille.

### IASPIS. TIT. VI.

Plinius lib. 37. c. 9. & 10. Dioscorides lib. 5. c. 147.  
Galenus lib. 9. simpliciū ca. 11. Alb. lib. 2. ca. 8.

Iaspidis esse decem species septemq; feruntur  
Hic & multorum cognoscitur esse colorum  
Et multis nasci perhibetur partibus orbis  
Optimus in uiridi translucentiq; colore  
Et qui plus soleat uirtutis habere probatur.  
Caste gestatus febrem fugat: arcet Ydropem  
Appositusq; iuuat mulierem parturientem  
Et tutamentum portanti creditur esse  
Nam consecratus gratum facit atq; potentem  
Et sicut perhibent fantasmata noxia pellit  
Cuius in argento uis fortior esse putatur.

### SAPHIRVS. TIT. VII.

Plinius lib. 37. c. 9. Dio. lib. 5. c. 146. Gal. lib. 9.  
c. 19. Alber. lib. 2. c. 17.

Saphiri species digitis aptissima regum

Egregium fulgens puroq; simillima coelo  
Vilior est nullo uirtutibus atq; decore  
Hic & Syrtites lapis a plerisq; uocatur  
Quod circa Syrtes Libycis permixtus arenis  
Fluctibus expulsus feruente freto reperitur  
Ille sed optimus est quem tellus Medica gignit  
Qui tamen asseritur nunquã transmittere uisum  
Quem natura potens tanto ditauit honore  
Ut sacer & merito gemmarum gemma uocetur  
Nam corpus uegetat: conseruat & integra membra  
Et qui portat eum nequit ulla fraude noceri.  
Inuidiam superat nullo terrore mouetur  
Hic lapis ut perhibent educit carcere uinctos  
Obstrictasq; fores & uincula tacta resoluit  
Pacatumq; deum reddit precibusq; fauentem  
Fertur & ad pacem bonus esse reconciliandam  
Et plus quã reliquas amat hãc Necromantia gema  
Ut diuina queant per eam responsa moueri  
Corporeis etiam morbis lapis iste medetur  
Scilicet ardorem refrigerat interiorẽ  
Sudorem stringit nimio torrente fluentem  
Contritus lateri super illitus ulcera sanat  
Tollit & ex oculis sordes ex fronte dolores  
Et uiciis linguæ simili ratione medetur  
Sed qui gestit eum castissimus esse iubetur.

CALCEDONIVS. TIT. VIII.

Alb. lib. z. c. 3. hodie inter Basileã & Argentinã  
reperitur Calcidonius qui Murrhino a ueteribus



tradito q̄ similis uenarum uarietate apparet.

Calcedon lapis est hebeti pallore refulgens  
Inter Hiacintum Medioximus atq; Berillum  
Qui si pertusus digito colloue feratur  
Is qui portat eum perhibetur uincere causas  
Hæc species lapidis tantū tricolor reperitur.

### SMARAGDVS. TIT. IX.

Plinius libro. 37. ca. 5. Solinus ca. 24. Serapio  
ca. 384. Albertus libro. 2. ca. 17.

Omne uirēs superat forma uiridate Smaragdus  
Cuius bisquine species binæq; feruntur  
Sunt enim Scythici Bactrani Niliaciq;  
Sunt & qui uenis nasci perhibentur in æris  
Quos maculis uitiosa notat natura metalli:  
Sunt Carchedonii reliquos piget enumerare  
Præcipuus Scythicis honor est & gratia maior:  
Griphibus eripiunt seruantibus hos Arisma spi  
Quos uisus penetrat forme potioris habetur  
Quorum luce uirens uicinus tingitur aer  
Quos neq; sol mutat nec clara lucerna: nec umbræ  
Strata superficies quibus est uel cōcaua forma  
More iacentis aquæ uultum spectātis adumbrat  
His usum speculis testatur fama Neronem  
Cum gladiatorum pugnas spectare libebat  
Optimus his situs est quorum sunt corpora plana  
Commodus iste lapis scrutantibus abdita fertur

Cum præscire uolunt aut diuinare futura  
Augeat opes idem sese reuerenter habentes  
Omnibus in causis dans persuasoria uerba  
Tanq̄ facundi uis sit sermonis in illo  
Collo suspensus dirum fugat Hemitriteum  
Et sanare potest ipsa ratione caducos  
Emendat fessos uiridi mulcedine uisus  
Et tempestates auertere posse putatur  
Fertur lasciuos etiam compescere motus  
Proficit in uiridi magis accenditq; colorem  
Ablutus uino aut uiridi preuentus oliuo.

*hemolans cap. 5. 37. Castign. 1  
non hinc obsinim mthorez.*

### CHRYSOPRASVS. TIT. X.

Plinius lib. 37. ca. 8. & 11. Sol. ca. 65. Alber. li. 2.  
c. 3. sed perperã ibi scribit Crisopalsus q; alius est.

Et Crisoprason lapidem domus India mittit  
Hic porri succum referens mixtumq; colorem  
Aureolis guttis quas purpura tineta renitct  
Quas habeat uires potui cognoscere nõdum  
Sed tamen esse reor: nec fas est omnia nosse

### CHRISOPASIVS. TIT. XI.

Plinio Chrysolápis dicitur libro. 37. ca. 10. Soli  
nus ca. 42. Albertus libro. 2. ca. 3.

Aethiopum tellus lapidem Chrisopasion edit  
Quem tenebræ produnt: occultant tempora lucis

b z

Noctibus igne micans uanescit luce diurna  
Absq; nitore iacens auri pallore sepultus  
Hic quoq; naturæ mutatus cernitur ordo  
Nam quem lux cœlat solito lux more reuelat.

### SARDIUS. TIT. XII.

Plinio Sarda dicitur lib. 37. ca. 7. sed Alber. lib. 2. ca. 17. Sarda uocat quem debuit Sagdam nominare hunc uero Sardinum falso.

Sardius a Sardis est / a quibus ante repertus  
Sortitus nomen / rubei solet esse coloris.  
Hic inter gemmas uilissimus esse putatur  
Præter fulgorem cum nil ferat utilitatis  
Excepto q; Onyx nequit hoc præsentē nocere  
Huic quoq; dat quinas species studiosa uetustas

### SARDONYX. TIT. XIII.

Plini. lib. 37. ca. primo ca. 7. & ca. 12. Soli. c. 45.  
Alber. lib. 2. c. 17. ubi sibi ipsi nō satis cōstat.

Sardonycem faciūt duo nomina Sardus Onyxq;  
Tres capit ex binis unus lapis iste colores  
Albus & hinc niger est / rubeus supereminet albo  
Ipsū distribuūt species in quinq; magistri.  
Sed quasi tres puros impermixtosq; colores  
Sic in se retinent distent ut limite certo  
His honor amplior est & eorum forma probatur.

Densior & raro plus fertur habere decoris  
Hic solus lapidum cæram conuellere nescit  
Hic humilem castumq; facit uultumq; pudicum  
Cuius uirtutes alias reperire nequiu  
Partibus hunc nostris Arabes sed & India mittit.

ONYX. TIT. XIII.

Pli. lib. 37. c. 6. Gal. li. 9. c. ii. Alb. li. 2. ca. 13. ubi  
Onyx & Onicha tanq̄ diuersi lapides ponunt cū  
un⁹ sit.

A collo suspensus Onyx digitoue ligatus  
Insomnes lemures & tristia cuncta repellit  
Multiplicat lites & cōmouet undiq; rixas  
Dicitur in pueris multas augere saluas  
Hæc quoq; dant nobis Arabes dat & India gemmā  
Hæc etiā quinas species perhibetur habere  
Sardius at præsens si sit tibi nō nocet Onyx.

CRYSOLITHVS. TIT. XV.

Plini. lib. 37. c. 9. & ii. Alber. li. 2. c. 3.

Auro Crysolitus micat & scintillat ut ignis  
Iste mari similis quiddā uiroris adumbrans  
Esse philacteriū fixus perhibetur in auro  
Contra nocturnos fortis tutela timores  
Pertusus setis si traiciatur aselli  
Dæmonas exteret & eos agitare putatur  
Traiectum leuo decet hunc gestare lacerto

Aethiopes legimus nobis hanc mittere gemmam

BERILLVS TIT .XVI.

Pli. lib. 37. ca. 5. Sol. c. 65. Alber. lib. 2. ca. 20

Conspicuos reddit sexangula forma Berillos  
Qui nisi fiat hebes his pallor inesse uidetur  
Eximios oleo similes limphæ ue marinæ  
Esse uolunt & eos probat horum gnara uenustas  
Hic lapis ad partes nostras descendit ab Indis  
Hic & coniugii gestare refertur amorem  
Et se portantem perhibetur magnificare  
Dicitur & sese gestantis adurere dextram  
Infirmis oculis in quis iacet unda medetur  
Potaque ructatus simul & suspiria tollit  
Et cunctos epatis fertur curare dolores  
Istius esse nouem species uoluerunt magistri.

TOPASIVS. TIT. XVII.

Plinius libro. <sup>37</sup> 2. ca. 8. Albertus libro. 2. c. 18.

Nominis eiusdem Topation Insula gignit  
Qui quanto rarus tanto magis est preciosus  
Hic species tantum binas perhibetur habere  
Alterius puro color est uicinior auro  
Clarius alterius tenuisque magis reperitur  
Fertur Emoroycis Idem lapis auxiliari  
Quodque magis mirum lunam sentire putatur

Feruentes etiam compescere dicitur undas  
Gignit & hunc Arabum gemmis ditissima tellus.

IACINTHVS. TIT. XVIII.

Plinius lib. 37. c. 9. Solinus ca. 43. Serapio ca.  
398. Albertus libro. 2. ca. 8.

Iacinthi species docti tres esse loquuntur  
Nam sunt granati: sunt Citrini: Venetiq;  
Confortatiuæ cuncti uirtutes habentur  
Tristiciamq; fugant & uanas suspiciones  
Granatos præfert gemmarum quisq; peritus  
His ruffus color est & rarius inueniuntur  
Cæruleus Veneto qui protinus aera sentit  
Nubilus obscuro rutilans clarusq; sereno  
Optimus huic tenor est quem non depressior equo  
Obscurat succus, aut rarus perspicuum dat  
Sed flos purpureus mixtum cõponit utrumq;  
Hic & in os missus plus frigidus esse putatur  
Duriciæ solida cædi sculpiq; recusat  
Fragmentis tantum superabilis est Adamantis  
Pallida citrinos facies probat inferiores  
Sed quodcunq; genus collo suspendere possis  
Vel digito portes terras securus obibis  
Nec tibi pestifere regionis causa nocebit  
Sed magis hospitibus censebere dignus honore  
Iustaq; si qua petes nullam patiẽre repulsam  
Aethiopes nobis transmittunt hanc quoq; gemmã.

## AMETHYSTVS TIT. XIX.

Plinius li. 37. c. 9. Alber. lib. 2. c. primo.

Purpureus color ac uiolaceus est Amethysto  
Vel quasi gutta meri solet aut rosa mūda uideri  
Quidam marcidior uelut euanescit in album  
Ut corruptus aqua uini rubor esse putetur  
India mittit eum gemmarum maxima nutritrix  
Hic facilis sculpi: contrarius ebrietati  
Charus haberetur merito si rarior esset  
At nunc negligitur quoniā cōmunis habetur  
Huic quoq; dat species ueterū sententia quinq;.

## CHELODONIVS. TIT. XX.

Plinio Chelidonia li. 37. c. 10. Albertus lib. 2. c. 3.  
Dioscorides libro. 2.

At Chelidonium lapis est quem gignit hyrundo  
Ventre gerens precium quo digna sit ipsa necari  
Nec de fulgentum numero lapis esse putatur  
Paruus & informis sed nulli uiribus impar  
Præclaros quosdam lapides premit utilitate  
Huius sunt binæ species geminiq; colores  
Nam niger & ruffus cæso de uentre feruntur  
Cædit gestato lunatica passio Ruffo  
Curat & insanos & languores diuturnos  
Facundos facit & gratos multisq; placentes  
Ex lino factō decet hunc inuoluere panno

Et sic in chela clausum portare sinistra.  
At niger in panno pacto gestatus eodem  
Ad finem dignum suscepta negocia ducit  
Obsistitq; minis & regum mitigat iras  
Et dilutus aqua languentia lumina sanat.  
In panno croceo lini sub tegmine texto  
Ipse lapis positus febres extinguere fertur  
Et simul humores compescere quosq; nociuos.

### GAGATES. TIT. XXI.

Plini. 36. c. 19. Sol. c. 34. Dio. li. 5. c. 136. Gal. li. 9.  
ca. 8. Nicander in Theriaca Ridendus est oino au-  
thor pãdectæ q delirat in lapide Trachio / quem  
etiã Plini. cū Gagates cōfundit Auicenna li. 2. ca.  
417. hunc nominat qui in oleo restinguit.

Nascitur in litia lapis & propè gemma Gagates  
Sed genus eximium fœcunda Britannia mittit  
Lucidus & niger est leuis & leuissimus idem  
Vicinas paleas trahit attritu calefactus  
Ardet aqua lotus restringitur unctus oliuo  
Prodest gestatus tumidus inter cute lymphæ  
Et dilutus aqua dentes firmat labefactos  
Per suffimigium mulieri menstrua reddit  
Accensus prodit fumi nitore caducos  
Effugat immites simili ratione Chelydros  
Euersos uentres iuuat & precordia tensa  
Inde demonibus contrarius esse putatur  
Vincit præstigias & carmina dira resoluit



Et solet ut perhibent deprendere uirginitatem  
Pregnans potet aquam triduo quo merfus habetur  
Quo uexabatur partum cito libera fundit.

MAGNES. TIT. XXII.

Pli. li. 36. c. 16. Sed & 34. lib. c. 14. Dio. li. 5. c. 138.  
Gal. li. 9. ca. 10. Serapio ca. 394. Alb. li. 2. c. 11.

*Tit. no. 2. c. 16. clau-  
dium porte v. p. 11. no.*

Magnetes lapis est inuentus apud Troglodytas  
Quem lapidum genitrix nihilominus India gignit  
Hic ferruginei cognoscitur esse coloris  
Et ui naturæ uicinum tollere ferrum  
Ededon magus hoc primum fore dicitur usus  
Consciens in magica nihil esse potentius arte  
Post illum fertur famosa uenefica Circe  
Hoc in præstigiis magicis specialiter usa  
Hic & apud Medos cum res uenisset in usum  
Detexit lapidē magis experientia uires  
Nam qui scire cupit sua num sit adultera coniunx  
Suppositum capiti lapidem stertentis adaptet  
Mox quæ casta manet petit amplexura maritum  
Non tamen euigilans/cadit omnis adultera lecto  
Tanq̄ pulsa manu subito terrore coacta  
Quem lapis emittit cælati criminis index  
Si fur claustra domus spoliis gazisq; referta  
Ingrediens prunas ardentis per loca ponat  
Et super aspergat Magnetis fragmina prunis  
Ut per Terragonū fumi calor alta uaporet  
Mentibus euersis uelut impediēte ruina

Defugient omnes in ea quicumq; manebunt;  
Et fur securus rapiet quaecunq; libebit  
Conciliare potest uxoribus ipse maritos  
Et uice conuersa nuptas reuocare maritis  
Gratia praestatur simul & suadela per ipsum  
Sermonisq; decor disceptandiq; facultas  
Cum mulla datus Ydropem purgando resoluit  
Et combusturis super aspersus medicatur.

### CORALLIVM. TIT. XXIII.

Plinius li. 36. c. 19. Et item. 32. c. 2. Solinus. c. 8.  
Dio. libro. 5. c. 129. Albertus lib. 2. c. 3. Auicenna  
lib. 2. uocat arabice Aneseb. 418. Sed poetice pul-  
cherrime Ouidius describit in quarto Meta.

Corallus lapis est dum uiuit in aequore uimen  
Retibus auulsus uel caesus acumine ferri  
Aere contacto fit durior & lapidescit  
Quiq; color uiridis fuerat modo Puniceus fit  
Et uelut arbussti ramusculus esse uidetur  
Circa semipedem uix longior inueniendus  
Ex quo finguntur gestamina comoda multis  
Quippe salutaris gestantibus esse probatur  
Illius ut dixit Zoroastes mira potestas  
Et sicut scribit Metrodorus maximus auctor  
Fulmina; Typhonas; tempestatesq; repellit  
A rate uel tecto uel agro quocunq; geratur  
Aut in uinetis aspersus & inter oliuas  
Aut a ruricolis cum segmine iactus in agros

Grandinis auertit calamis contraria tæla  
Multiplicans fructus ut fertilitate redundant  
Umbras demonicas ac Thesala mōstra repellit  
Introitus præstat faciles / finesq; secundos  
Collo suspensus pellit de uentre dolorem.

ALABANDINA. TIT. XXIII.

Plinio Alabandicus dicit li. 36. ca. 8. Item Alber/  
tus libro. 2. ca. primo.

Est Aziæ regio quæ nomen habens Alabanda  
Fert Alabandinã cuius lux emula sardi  
Iudicis ambiguum de nomine fallit acumen.

CORNEOLVS TIT. XXV.

Alb. li. 2. c. 3. ubi scribit Corne. Serapio. c. 400.

Sed neq; Corneolos lapides memorare pigebit  
Qui licet obscurum uideantur habere ruborem  
Non spernenda tamẽ huic creditur insita uirtus  
Nam lapis hic digito colloue gerentis adherens  
In disceptando surgentes mitigat iras  
Quiq; lauaturæ carnis par esse uidetur  
Sanguinis ex membro sistit quocunq; fluorem  
Præcipue talem patitur si scemina fluxum.

CARBVNCVLVS. TIT. XXVI.

Plini. lib. 37. c. 7. Albertus li. 2. c. 3.

Ardentes gemmas superat Carbunculus omnes  
Nam uelut ignitos radios iacit undiq; Carbo  
Nominis unde sui causam traxisse uidetur  
Lingua sed Græca lapis idem dicitur Antrax  
Huius nec tenebre possunt extinguere lumen  
Quin flammam fibrans oculis nitet aspicientum.  
Nascitur in Libya Trogloditarum regione  
Et species eius ter trinæ tresq; feruntur.

### LYNCURIUS. TIT. XXVII.

Plinius libro. 37. ca. 2. & 3. Et libro. 8. ca. 38. Sor-  
linus. c. 8. Alber. li. 2. c. 10. falso Ligurius dictus.

Vertitur in lapidem qui stillat ab inguine Lyncis  
Lyncurium dicunt: lapis est tamen hic preciosus  
Nam credunt ipsas hoc persentiscere Lynces  
Quæ mox egestum properant operire liquorem  
Desuper accumulans congestæ pondus harenæ  
Scilicet inuidia ne nostros cædat in usus  
Electro similem Theophrastus habere colorem  
Hunc ait: & simili paleas adducere pacto  
Assirmans ipsum stomachi placare dolorem  
Yctericis etiam priscum reuocare colorem  
Et perturbati compescere reumata uentris.

### ETHITES. TIT. XXVIII.

Plinius. 37. c. 11. & lib. 10. c. 3. Solinus. c. 50. Dio.  
li. 5. c. 148. Serapio. c. 402. Albertus libro. 2. c. 5.  
ubi perperam scriptum est Ethiches.

Inter præcipuos lapides numeratur Ethites  
Quem petit extremis orbis Iouis ales ab oris  
Custodem nidi/defensoremq; futurum  
Quo ualeat pullis dubios auertere casus  
Continet hic alium pregnantis more lapillum  
Creditur ergo potens pregnantibus auxiliari  
Ne uel abortiuū faciant: partu ue laborent  
Appensus leuo solito de more lacerto  
Confert præterea gestanti sobrietatem:  
Augēt diuitias & amari cogit habentem  
Victoremq; facit: populiq; fauoribus ornat  
Incolumes pueros dat uiuere siue puellas  
Atq; caducorum fertur prohibere ruinas  
Si quis suspectus tibi sit de fraude uenæni  
Tuq; probare uelis sua num sit iniqua uoluntas  
Participem mensæ quem formidas adhibeto  
Pulmento posito cui sit submissus Ethites  
Si fraus cordi subest temptans glutire nequibit  
Si tuleris lapidem cupide gestata uorabit  
Puniceum lapis hic memoratur habere colorem  
Oceaniq; latens in littoribus reperitur  
Aut Aquile nidis aut Persarum regione  
Quem gemini pollux castorq; tulisse leguntur.

SELENITES. TIT. XXVI III.

Plinius libro. 37. c. 10. Solinus. c. 50. Auicēnæ  
dicitur lapis Lunæ libro. 2. ca. 412. Albertus.  
libro. 2. ca. 17. sed ineptæ scribit Silenites

Nec Seleniten fas est omnino taceri  
Quæ uelut herba uirens & Iaspidis æmula gemma  
Lunares motus & menstrua tempora seruat  
Crescit enim Luna crescente minorq; minuta  
Efficitur: tanq̃ cœlestibus anxia damnis  
Iccirco sanctus lapis a plærisq; uocatur  
Dicitur esse potens ad amorem conciliandum  
Languentes etiam Phtisicosq; iuuare putatur  
Toto gestatus crescentis tempore Lunæ  
Nec minus & toto per decrementsa fluentis  
Effectus miros & commoda plurima præstat  
Hanc autem gemmam memorant in Perside nasci.

### GAGATROMEVS. TIT. XXX.

Albertus libro secūdo. ca. septimo.

Ast diuersicolor quem dicunt Gagatromeum  
Pelli capreoli similis lapis esse refertur  
Quem qui gestarit dux pugnaturus in hostem  
Hostem depulsum terraq; mariq; fugabit  
Illius Alcides ope multa pericula uicit  
Succubuit quotiens lapidem non sustulit illum.

### CERAVNIVS. TIT. XXXI.

Ceraunia Pli. dicit li. 37. ca. 9. Et Sol. c. 32. & 35.  
ubi Hispania describitur. Albertus libro. 2. c. 3. Vbi  
perperam scriptum est Ceraurum uel Coranum.

Ventorum rabie cum turbidus aestuat aer.  
Cum tonat horrendum / cum fulminat igneus aether  
Nubibus illis caelo cadit iste lapillus  
Cuius apud Graecos extat de fulmine nomen  
Illis quippe locis quos constat fulmine tactos.  
Iste lapis tantum repperiri posse putatur  
Vnde Ceraunios est Graeco sermone uocatus  
Nam quod nos fulmen / Graeci dixere Ceraunum  
Qui caste gerit hunc a fulmine non ferietur  
Nec domus aut uillae quibus affuerit lapis ille  
Sed neque nauigio per flumina uel mare uectus  
Turbine mergetur nec fulmine percutietur  
Ad causas etiam uincendaque praelia prodest.  
Et dulces somnos & dulcia somnia praestat  
Huic binae dantur species totidemque colores  
Cristallo similem Carmania mittere fertur  
Ceruleo tum infectum rutiloque colore  
Mittit & Hispanus regione manens lusitana  
Flammam spargentem similemque colore piropo.

### ORITES. TIT. XXXII.

Plini. li. 37. c. 10. Albertus lib. 2. ca. 13.

Lætiferos morsus niger atque rotundus Orites  
Quos fera uel cornu uel sauo dente peregit

Cum roseo mixtus perfecte curat oliuo  
Peruastat heremos uastasq; feras gradientes  
Illesos seruat morsus abigendo ferarum  
Hic uiret & maculas habet albas alter Orites  
Casibus aduersis portatus ubiq; resistit  
Tertius asseritur famæ grauioris Orites  
Altera pars cuius crebris magis aspera clauis  
Altera lenior est corpus quasi lamina ferri  
Hic facit appensus ne fiat foemina pregnans  
Si fuerit pregnans mulier cito fundit abortum.

HYENIA. TIT. XXXIII.

Plinius lib. 37. c. 10. Solinus. c. 39. Albertus  
libro. 2. c. 8. sed corrupte legitur lena.

Tollitur ex oculis lapis extollendus Hyenæ  
Dictus Hyenia quam ueteres si credere dignum  
Fatidicum numen memorant inferre gerenti  
Quo queat imbutus prædicere quæq; futura.  
Sub lingua lotus si contineatur in ore.

LIPARES. TIT. XXXIII.

Plinius lib. 37. ca. 10. Albertus lib. 2. c. 9.

Partibus in Libycis lapis est Lipares uocitatus  
Ad quem sponte sua properat genus omne ferarum  
Quas uenatorum suevit labor exagitare  
Non eget ergo canum morfu curaue sagaci



Saltus perlustrans : lapidem qui gesserit istum  
Sternedæ satis est uenabula tollere prædæ .

ENHYDROS. TIT. XXXV.

Plinius libro. 37. c. 11. Sol. c. 50. Alber. lib. 2. c. 5.  
sed corrupte est Etindros & Etidros.

Perpetuis fluctus lachrymis distillat Enhydros :  
Qui uelut e pleni fontis scaturigine manant  
Cuius naturæ graue sit deprendere causam  
Nam si decurrit lapidis substantia / quare?  
Non minor efficitur uel non omnino liquefcit:  
Sin res exterior descendat ad interiora  
Ut semper refluat: cur se non impedit ipsum?  
Scilicet ingrediens contrarius egredienti:

IRIS: TIT. XXXVI.

Plini. li. 37. c. 9. Soli. c. 55. Alber. li. 2. c. 8.

Irim dant Arabes sed gignit eam mare rubrum /  
Cristallo similem / cuius sexangula forma /  
Clara luce micans fert causam nominis huius:  
Nam si sub tecto radiis sit subdita solis /  
Protinus inficitur paries: uarioq; colore  
Arcus cœlestis depingit utramq; figuram.

ANDRODAMAS. TIT. XXXVII.

Plini. lib. 37. c. 10. Sol. 45. Alber. li. 2. c. primo.

Andromāta (lapis formæ quasi tessera quadra)  
Dicunt argenti repræsentare colorem:  
Cuius duricies quasi duricies Adamantis:  
Ipse maris rubri mixtus reperitur arenis:  
Quem Magus affirmat tantæ uirtutis haberi  
Vt præsens animos possit sedare calentes

### OPHTHALMIUS. TIT. XXXVIII.

Albertus libro. 2. ca. 15.

Auertens oculis morbos Ophthalmius omnes  
Asseritur furum tutissimus esse patronus:  
Nam se gestanti uisus conseruat acutos:  
Ac circumstantes obducta nube recondit:  
Vt spoliare domos possint inpune latrones.

### VNIO. TIT. XXXVIII.

Plinius libro. 9. ca. 35. Solinus. c. 66. Sera-  
pio. c. 397. Alberrus libro. 2. ca. 11.

Tollitur e conchis species memoranda marinis  
Vnio dictus ob hoc quod ab una nascitur unus.  
Nec duo uel plures unquam simul inueniuntur:  
Cuius ad ornatum laudatur candida forma /  
Vt deceat uestes deceat nihilominus aurum:  
Conchæ temporibus certis referuntur hiantes

In coelum patulae rores haurire supernos  
Ex quibus orbiculi cadentes concipiuntur  
De matutino sit clarior Vnio rore  
Ros uespertinus foetus solet edere fuscus  
Et iuuenes conchae dant baccas candidiores  
Obscurat foetus concharum grandior aetas  
Quanto rorantis fuerit plus aeris haustum  
Tanto maiorem gignit roratio baccam  
Ultra seminucem sed crescere nulla putatur  
Quod si celsa micent tonitrum conuexa corusco  
Conchae diffugiunt subita formidine clausae  
Sic intercepto conceptio deperit hausto  
Et fit abortiuum quod coeperat inde creari  
Insignes baccas predam maris India gignit  
Gignit & insignes antiqua Britannia baccas.

PANTERVS. TIT. XL.

Albertus libro. 2. ca. 14.

Pantheron multos testantur habere colores  
Nam niger & rubeus uiridis pallensq; uidetur  
Purpureus roseusq; simul sparsimq; colores  
Hos habet: & uario distinctus stemate uernat.  
Expedi hunc orto q̄ primum sole uideri  
Ut uictor possis omnis exire per actus  
Ipso namq; die poterit te uincere nemo  
Pantheram patet esse feram diuersi coloris  
India quam gignit cuius pauefacta leonum  
Voce fugit rabies, quam bestia contremis omnis

Huius ad exemplar sic est lapis iste uocatus.

ABSINTHOS. TIT. XLI.

Apistos dicit Plinio li. 37. c. 10. Alb. li. 2. c. primo.

Absinthos nigri non ultima gemma coloris  
Ad gratam speciem rubeis interlita uenis  
Pondere maioris mensuram corporis æquat  
Hæc simul admoto suscepit ab igne colorem  
Testantur calidam septem durare diebus.

CALCOPHONOS. TIT. XLII.

Plinius lib. 37. c. 10. Solinus. c. 50. Albertus li. 2.  
ca. 3. ubi perperam Calcaneus scribitur.

Calcophonos pulsata refert tinnitibus æra.  
Qui si tractetur reuerenter corpore casto  
Vocis dulce melos aiunt conferre gerenti  
Et ne rauescant liquidas defendere fauces  
Hic etiam nigrum perhibetur habere colorem.

MOLOCHITHES. TIT. XLIII.

Plini. 37. c. 8. Solinus. c. 45. Alber. li. 2. c. 11. Sed  
ineptæ ibi Melecices aut Melenites scriptū est.

Infantum cunas uirtute sua Molochites  
Protegit & casus abigit quoscunq; ferinos

Ne teneros artus pars possit iniqua nocere  
Dat lapidi precium uirtus cumulata decore  
Crassum quippe uirens similis solet esse Smaragdo  
Hunc Arabum gentes prius inuenisse feruntur.

TECOLITHVS. TIT. XLIII.

Plini. li. 37. c. 10. Sol. c. 50. Alber. li. 2. c. 3. sed cor-  
rupte ibi scriptum Cegolites & postea in ca. 5. in-  
utiliter repetitus Exacolitus magno errore.

Tecolitus nucleo similis perhibetur oliuæ,  
Aspectu uilis naturæ ui preciosus.  
Nāq; solutus aquis, & ab his quibus expedit haustus,  
Dicitur esse potens lapidosos soluere renes:  
Vesicæq; simul purgare dolentis harenas

PYRITES. TIT. XLV.

Pli. 37. c. 11. So. c. 50. Dio. li. 5. ca. 133. Gal. li. 9. ca. 4.  
Al. li. 2. c. 14. ubi corrupte legit Perithe uel pidom?

Cui fuluus color est cui nomen ab igne Pirites  
Se uetat astringi pertractariq; recusat  
Tangi uult leniter pauidaq; manu retineri  
Nam pressus nimium digitos stringentis adurit.

DIADOCHOS TIT. XLVI.

Pli. 37. c. 10. Al. li. 2. c. 4. s; pperā ibi scribit diacodos

Diadochos perquã responsa petentibus aptus  
Dæmonis effigies uarias ostendere fertur  
Nec lapis est alius qui fortius euocet umbras  
Sed si defuncto quis forsitan applicet illum  
Protinus asseritur solitas amittere uires  
Namq; lapis sacer est & quæ mors sternit abhorret  
Hunc autem perhibent similem fulgore Beryllo.

DIONYSIAS. TIT. XLVII.

Plini. li. 37. c. 10. Soli. c. 50. Alber. li. 2. c. 3.

Nigra micat rubeis Dionysia consita guttis  
Hanc in aqua tritam uinum fragrare loquuntur  
Et tamen ebrietas ipsius odore fugatur  
In quo naturæ solito nihil ordine currit  
Dum lapis e lymphæ uini producit odorem  
Quãq; citare solet uinum fugat ebrietatem

CHRYSOLECTROS. TIT. XLVIII.

Plinius libro. 37. ca. 3.

Esse Chrysolectros similis describitur auro  
Cuius ad electrum color inclinare uidetur  
Hic matutinis uisu iucundior auris  
Dissimilem speciem post aspicientibus offert  
Cuius materies rapidissima dicitur ignis  
Nam cito uicino correptus flagrat ab igne

## HELIOTROPIA. TIT. XLVIII.

Plini. 37. c. 10. Sol. c. 39. Alber. li. 2. c. 5.

Ex re nomen habens est Heliotropia gemma  
Quæ solis radiis in aqua subiecta Batillo  
Sanguineum reddit mutato lumine solem  
Eclipsimq; nouam terris effundere cogit  
Deniq; post modice uas ebullire uidebis  
Aspergiq; foras subitæ scaturiginis imbrem  
Ut sit cum nimbos destillat turbidus aer  
Imbres de cælo uocat astringitq; serenum  
Se quoq; gestanti dat plurima uaticinari  
Atq; futurarum quasdam prænoscere rerum  
Nosq; bonæ famæ quibus est data laudibus ornat  
Seruat & incolumes producens tēpora uitæ  
Sanguinis astringit fluxum: pellitq; uenæna  
Nec falli poterit lapidem qui gesserit illum  
Tot bona diuino data sunt huic munere gemmæ  
Cui tamen amplior his concessa potentia fertur  
Nam si iungatur eiusdem nominis herbæ  
Carminè legitimo uerboq; sacrata potenti  
Subtrahit humanis oculis quemcūq; gerentem  
Hanc nunc Ethiopes: nunc Cyprus & Affrica mittit  
Sanguinis aspersum guttis similemq; Smaragdo.

## HEPHESTITES. TIT. L.

Plinius libro. 37. ca. 10. Alber. li. 2. ca. 5. Sed  
perperā ibi scriptum est Epistrites.

Nascitur in bitnari preciosior ære Corintho  
Dicitur Hephestites rutilans lapis & rubicundus  
Qui si feruenti fuerit coniectus Aheno  
Ignibus exultans prius illico sistitur unda:  
Frigida post modicum lapidis uirtute futura.  
Fructibus a terræ uolucres arcere locustas  
Et nebulas steriles & grandinis improba fertur  
Verbera nec turbo: quos protegit iste: nocebunt  
Ad solem positus radios emittit ut ignem  
Mirantes oculos perstringens luce corusca  
Accensas idem compescit seditiones  
Et tutum seruat dubia sub sorte gerentem  
Pectore sed memori fixum teneamus oportet  
Qua cor parte iacet lapides hos esse gerendos.

#### HEMATITES. TIT. LI.

Pli. li. 37. c. 10. Sol. c. 42. Dio. li. 5. c. 133. Gal. li. 9.  
Simpliciū tract. de lapi. c. 1. Sera. c. 421. Alb. li. 2.  
c. 5. Pli. etiā li. 36. c. 16. & 20. Ematitis meminit.

Sumpsit Emathites græcum de sanguine nomen  
Naturæ lapis humanæ seruire creatus  
Stiptica cui uirtus per multa probat inesse  
Nam palpebrarū super illitus asperitatem  
Et uisus hebetes pulsa caligine sanat  
Eius ramentis si glarea mixta sit oui  
Succo dilutus quem punica mala remittunt  
In medicinali ueluti collyria cote  
Vel resolutus aqua iuuat hos qui sanguinis ore



Guttas emittunt & quæ linit ulcera sanat  
Potatus stringit patitur quem foemina fluxum  
Carnes crescentes in uulnere pulueris huius  
Vis premit: & uentrem retinet sine mora fluentem  
Vino dilutus ueteri bibitusq; frequenter  
Serpentis morsus uel quod fit ab aspide uulnus  
Egregie curat resolutus a quis & in unctus  
Mixtus melle potest oculos sanare dolentes  
Vesicæ lapidem bibitus dissoluere fertur  
Hic ferrugineo ruffoue colore notatur  
Affrica mittit eum sed Aethiopes Arabesq;

#### ABESTOS. TIT. LII.

Plini. li. 37. c. 10. Sol. 12. Alber. li. 2. c. primo.

Arcadiæ tellus lapidem producit Abeston  
Ferreus huic color est naturæ mira potestas  
Nam semel accensus conceptos detinet ignes  
Extinguiq; nequit perlucens perpete flamma.

#### PEANITES. TIT. LIII.

Peantides Plinio dicit. 37. c. 10. Sol. c. 14. Alber.  
lib. 2. ca. 14. sed ineptæ ibi scribit Peranites.

Gignitur in Macedum regione lapis Peanites  
Foeminei sexus referens imitando labores  
Sed quibus ex causis dubium nam tempore certo  
Concipit & parit: & parientibus auxiliatur

Vltima quas uexat dubii discriminis hora

SAGDA. TIT. LIII.

Plinius libro. 37. ca. 10. Solinus. c. 50. Albertus  
libro. 2. c. 17. ubi perperã Sarda legitur.

Difficilis gemmas super omnes Sagda repertu  
Nunq̄ sciretur nisi se daret inueniendam  
In medio siquidem natus lapis iste profundo  
Naues ui quadam petit e regione meantes:  
Et prælabentis tabulis hærendo carinæ  
Ad portum uehitur (merx ignaris data nautis)  
Est autem morsu tabulæ sic fixa tenaci  
Quod nequit abrasa ligni sine parte reuelli  
Huic Prasinus color est regio Caldaica tellus.

MEDVS. TIT. LV.

Pli. li. 37. c. 10. Al. li. 2. c. 11. sed ibi Medius legitur cor-  
rupte.

Ast in Medorum regione lapis reperitur  
Dicitur hic Medis mortis dator atq; salutis  
Namq; super cotem mulieris lacte solutus  
Quæ semel: atq; marem peperit persanat inunctus  
Visu fraudatos: multo iam tempore coctos  
Cos medicinalis uiridis solet esse coloris.  
Lacte solutus ouis semel atq; marem parientis  
Expellit ueterem simili ratione Podagram  
Et fessas reficit sub Anhelio pectore fibras

Hoc quoq; Nefretici sanescunt unguine renes  
Debet in argento mixtus uitro ue reponi  
Ieiunoq; dari sic utile sic medicamen  
At resolutus aquis cotis sibi fragmine mixto  
Et porrectus ei tibi quem decreueris hostem  
Ut lauet inde suam quasi pro medicamine frontem  
Obducet miseros extincto lumine uultus  
Si potum dederis uomito pulmone peribit  
Hic totus niger est sed nō nigra tota potestas  
Candida cum prodest: dum ledit nigra uocetur.

### CHALAZIAS. TIT. LVI.

Plini. libro. 37. c. 11. Soli. 50. Albertus li. 2. c. 7.  
ubi ineptæ Gelosia scriptum est.

Est quæ candorem fert grandinis atq; figuram  
Ictibus omnimodis inuicta Chalazia gemma  
Cuius naturæ uis tanta probatur ut omni  
Tempore frigida sit: nulloq; caleseat ab igne.

### HEXACONTALITHOS. TIT. LVII.

Plini. li. 37. ca. 10. Soli. c. 43. Alber. li. 2. ca. 5.

Hexaconthalithos lapis ex re nomen adeptus  
Qui sexaginta modico gerit orbe colores  
Corporis exigui numero dispendia supplens  
Dum tot gemmarum fert gemula sola decorem  
In lybia lapis hic reperitur apud Troglodytas:

## CHELONITES. TIT. LVIII.

Chelonia Plini. libro. 37. ca. 10. Albertus lib. 2.  
ca. 3. sed perperam Celonies scriptum est.

Indica testudo lapidem mittit Cheloniten  
Gratum purpureo:uarioq; colore nitentem  
Quem si sub lingua loto quis gesserit ore  
Posse magi credunt hunc diuinare futura  
Orto mane die sextam duntaxat ad horam  
Tempore quo Lunæ succrescens cernitur orbis  
Sed luna prima lapidis prædicta potestas  
Totius fertur spacio durare diei  
Quintæ post decimam concordant tempora primæ  
At decrementi lunaris tempore toto  
Ante diem lapidi tantum manet illa potestas  
Est etiam nulli lapis hic obnoxius igni.

## PRASIVS. TIT. LVIII.

Plinius lib. 37. ca. 8. Albertus lib. 2. c. 14.

Conspicuis Prasius gemmis solet adnumerari  
Sed non est charus contemptus quippe decore  
Vtile nil confert nisi q; uiret & decet auro  
Altera sanguineis species est illita guttis  
Tertia candidulis tribus est inscripta lituris.

## CRISTALLVS. TIT. LX.

Plini. li. 37. c. 2. Soli. 24. Alber. li. 2. c. 3.

Cristallus glacies multos durata per annos  
Ut placuit doctis qui sic scripsere quibusdam  
Carminis antiqui / frigus tenet atq; calorem  
Pars negat / & multis perhibent in partibus orbis  
Cristallum nasci qua nō uis frigoris ulla est  
Nec glacialis hyems unq̄ uiolasse probatur  
Sed certum cunctis neq; stat uiolabile tanq̄  
Quod lapis hic soli subiectus concipit ignem  
Admotosq; sibi solet hic accendere fungos  
Hunc etiam tritum quidam cum melle propinant  
Matribus infantes quibus assignantur alendi  
Quo potu credunt implerier ubera lacte.

### GALACTITES. TIT LXI.

Plinius lib. 37. c. 10. Soli. c. 12. Dio. lib. 5. c. 140.  
Auicenn. li. 2. c. 407 qui lapis Lacteus dicit hoc  
nō intelligēs author p̄dectæ: distinguere cura-  
uit in duo capita lapidū unū magno errore: hūc  
Alb. li. 2. c. 7. falso Galaricidē seu Galarietidē  
uocat.

Nec minus & cineri similem Galactida dicūt  
Quem mulsā tritum lac multiplicare bibenti  
Si tamen ante cibos fuerit post balnea sumptus  
Aut ouis ex grauidæ lanæ traducere filum  
Pertuso lapidi decet & circumdare collo  
Sic se portantis fœcundat ut ubera lacte  
Dat facilem partum: simili ratione ligatus

Ad foemur illius: quæ parturiendo laborat  
At si mundato circumspargatur ouili  
Cum sale mixtus aquæ solis redeuntis in ortum  
Lacte replentur oues scabiesq; fugatur ab illis  
Præterea tantis ueteres hunc laudibus ornant  
Ut bona cuncta putent solum præstare gerenti  
Quæ simul a reliquis cuncta uirtute darentur  
Sed turbat mentem si clausus in ore liquecat  
Hunc mittit Nilus producit & hunc Achelous  
Lactis dat succum tutus lactisq; saporem.

### EPILOGVS.

Hæc ex innumeris excerpta uocabula gemmis.  
Sufficiant nostro uigili collecta labore  
Quæ decies senis distincta patent capitellis.  
FINIS.

### Errata.


In titulo. 3. ubi uersus est. Iste sæpe uirus. &c. expun-  
gendū: sæpe: & substituendū: nepæ: ut stet uersus &  
sententia quadret. Item tit. 5. in locorū citatione lege  
Alber. lib. 2. nō. 20. In epistola præliminari habent  
aliqua exemplaria Antipelargina cū sit legendū an-  
tipelargin. Et tit. 4. ubi notat Alber. lege Alectrius.  
Reliqua uel lusciosis patebunt.

Viennæ Pannoniæ per Hieronymū Vietorem Phi-  
louallem. Anno. M. D. XI. septimo Kalen. Martii.


*Handwritten flourish*

*Handwritten signature: G. J. J. J.*

*Vienna Pannonie per ...*







12419

1K2

